



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XXXVIII. In iis, quæ coram aliis fiunt, etiam in ipso contemptu laudis,
esse periculum vanæ loriæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

oleum peccatoris mihi sit os meum, ad impinguandum Pfal. 140,
 caput meum. Egenus & pauper ego sum; & melior 5.
 in occulto gemitu displicens mihi, & quæ Pfal. 108,
 rens misericordiam tuam, donec reficiatur 2.
 defectus meus, & perficiatur usque in pa-
 cem, quam nescit arrogantis oculus.

V S V S.

1. Quotidiana & nunquam interrupta superbix infestatio ad ingens humilitatis desiderium ac studium nos movere debet, tanto magis, quanto certius scimus, nos non posse intrare in regnum cælorum, nisi efficiamur ut parvuli.
2. Non est fugienda laus, faciendo vituperio digna, sed cum S. Augustino conandum est. I. Ut plus delectemur veritate quam laudibus, facturi laude digna, etsi nemo nos laudaret. II. Cum perturbamur defectu laudis, aut titillamur ejus suffragio, pro viribus ejusmodi Vanitas reprimenda est. III. Eo eniti debemus, ut ob solam Dei gloriam delectemur, laudibus tum propriis, tum alienis. Gravis hæc & difficilis est pugna, sed si perseveremus orando & pugnando, vincemus cum S. Augustino, qui in suis libris nihil magis docet, quam humilitatem, Doctor tanto major, quanto humilior.

C A P. XXXVIII.

In iis, quæ coram aliis fiunt, etiam in ipso contemptu laudis, esse periculum vanæ gloriæ.

1. **S**ermo autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahit, & emendicata suffragia tentat; & cum à me in me arguitur, eo ipso quo arguitur. Et sæpe homo de ipso vanæ glo-

gloriæ contemptu vanius gloriatur: ideoque, non jam de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

V S V S.

Ingens hoc ipsum humilitatis incitamentum est, se tam miserum agnoscere, ut contemptum laudis in superbiam, id est, pharmacum in venenum vertat, nisi cælestis medicus tumorem nostrum fanet.

C A P. XXXIX.

Timere se id quoque tentationis genus, quo aliqui placent sibi de se, nec placere affectant cæteris, sed invident.

I. **E** Tiam intus est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt, qui placent sibi de se, quamvis aliis vel placeant, vel displiceant, nec placere affectant cæteris. Sed sibi placentes, multum tibi displicent, non tantum de non bonis quasi bonis, verum etiam de bonis tuis, quasi suis: aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis: aut etiam sicut ex tua gratia, sed non secundum sua merita, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes eam. In his omnibus atque hujuscemodi periculis & laboribus, vides tremorem cordis mei: sed & vulnera mea magis subinde à te sanari, quam mihi non infligi sentio.

V S V S.

Remedia adversus tam multiplices superbix tentationes passim in libris spiritualibus ad manum sunt. Præ reliquis egregie de humilitate scripsit
Jacobus